



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *URBIS*
(*TEMPLUM S. IOSEPHI*)*

TEMPLUM S. IOSEPHI AD VIAM TRIUMPHALEM
DIACONIARUM ORDINI ACCENSETUR.

Pulcherrima templa, quibus haec alma Roma immortalis prae ceteris urbibus decoratur, Romani Pontifices S. R. E. Patribus Cardinalibus attribuere consueverunt ad antiquam maiorum consuetudinem et morem, quae in Romana Ecclesia obtinuerunt et invaluerunt. Cumque, aucto numero eorundem Purpuratorum Patrum, iam et Tituli et Diaconiae quae deferrentur, augere oporteret, aequè fieri visum est, si templum etiam S. Iosepho dicatum ad Viam Triumphalem Diaconiarum numero accenseretur; in quod consilium sane ob eam causam descendimus, ut non solum propensam voluntatem Nostram ostenderemus erga nobilissimum hoc templum, verum etiam quia et arte, et pulchritudine, et cleri populiue pietate praestat, qua nihil optabilius. Nimirum id S. Iosephi templum, ut aliquid de eo breviter et stricte attingamus, beatus Aloisius Guanella, Congregationis Servorum a charitate Conditor, struendum curavit, adhibito Aristide Leonori, Servo Dei, ut dicunt, architecto. In eo Praedecessor Noster Pius X, Pontifex Max. atque Sanctus, anno millesimo nongentesimo duodecimo, paroeciae sedem constituit, paroeciae S. Marcelli, quae exstincta est, iuribus, privilegiis, bonis attributis, conditamque Sodalibus, quos meminimus, concredidit. Quae cum ita sint, templum *S. Iosephi ad Viam Triumphalem, tanta gloria decorum, in numerum Diaconiarum* redigimus, factis iuribus atque privilegiis, quae talium aedium propria sunt. Rectorem vero docemus eius esse tum has Litteras Nostras in cleri populiue notitiam perferre, qui suae dicionis sint; tum re acta, documenta exarare, eorumque sincera exempla ad Sacram Congregationem Consistorialem mittere, debite subsignata atque sigillo impressa. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic

haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die septimo mensis iunii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri quarto.*

<p><i>Pro S. R. E. Cancellarius</i> HAMLETUS I. Card. CICOGNANI <i>a publicis Ecclesiae negotiis</i></p>	<p>CAROLUS Card. CONFALONIERI <i>S. Congr. Consist. pro-Praefectus</i></p>
--	---

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Protonot. Apost.*

Iosephus Del Ton, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LIX (1967), n. 15, pp. 938-939 © Copyright 1967 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana